



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

284. An resignari possint Officia ecclesiastica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

eorum resignatio fit simpliciter. Paris. n. 60. dicens communem omnium. Porro observandum, quod notat Laym. in c. post translationem, de renunc. n. 1. interdum Episcopum renunciare loco tantum, ac regimini, servato ordine & dignitate Episcopalis; interdum resignare non tantum loco & regimine, sed etiam ordine & dignitate. Et si, ut Laym. existimat, se conferat ad religionem, praesumendum esse, quod utrique resignare velit, nisi specialiter obtineat à Papa, ut pontificalia exercere possit. Si autem non ingrediatur religionem, plerumque à Papa ei permitti ordinis Episcopalis dignitatem & exercitium, ne alioquin ob crimen depositus videatur.

Quaestio 283. An Abbatia & Prioratus resignari possit?

1. **R**espondeo ad primum affirmativè. Paris. cit. q. 1. n. 63. juxta c. ult. de renunc. & quam plurimos, quos citat. Idque intelligendo de Abbatia tam regulari, quam saeculari, Paris. n. 68. Idem est de Abbatissatu; cum & hic certo modo sit beneficium Ecclesiasticum, Paris. n. 71.

2. Respondeo ad secundum quoque affirmativè: Paris. n. 75.

Quaestio 284. An resignari possint officia Ecclesiastica?

Respondeo: posse; dum sunt beneficia, nimirum cum administratione rerum Ecclesiasticarum sine praeminentia & jurisdictione. Paris. l. 2. q. 1. n. 92. citans Selv. p. 1. c. 8. n. 5. Hojed. de incom. p. 1. c. 8. n. 3. Hinc resignari possunt thesauraria, Cantoria, Plebania, Sacristia &c. Quia haec sunt talia officia Ecclesiastica. Paris. loc. cit. à n. 93. uti idem dicit de Scholasteria, n. 127. citans Put. decis. 295. l. 2. quia est beneficium Ecclesiasticum.

Quaestio 285. An resignari possint beneficia consistorialia?

1. **R**espondeo primo: consistorialia resignari non possunt coram Ordinario, cum sint reservata ex reg. 2. Cancell. Paris. l. 2. q. 2. n. 1. & 2. citans Staphil. de lit. gratia & inst. s. dicendum. num. 67.

2. Respondeo secundo: possunt tamen resignari coram Papa in favorem, Paris. ibid. n. 4. dicens communem, & ab omnibus receptam; quamvis eorum provisio per resignationem fieri debeat consistorialiter, Paris. ibid. n. 5. citans Staphil. ubi ante n. 62. dicuntur enim inde consistorialia; quia de iis disponit Papa in Consistorio coram Cardinalibus, Paris. n. 6. ex Mandos. de annal. q. 16. n. 2. Pet. Gregor. Syn. tag. juris. l. 1. c. 4. n. 15. &c. quamvis subjungat idem Paris. n. 10. esse aliqua beneficia, quae appellantur consistorialia, de quibus de stylo & consuetudine non providetur consistorialiter. Et haec nihilominus non nisi coram Papa resignari debent, qui de iis providebit extra consistorium. De cetero tradit Lott. l. 1. q. 26. à n. 55. ex dicta descriptione in libris Camera optime inferri ad hanc qualitatem consistorialitatis, & eam qualitatem per provisionem extra consistorium factam non mutare Papam; cum nihil sit, quin beneficium, quod semper fuit consistoriale, Papa possit pro libitu conferre extra consistorium.

Quaestio 286. An resignari possit beneficium parochiale?

Respondeo affirmativè: Paris. l. 2. q. 1. n. 104. idem esse dicens à n. 107. de beneficio seu Ecclesia alià curatà. Verumtamen spectatà consuetudine Curiae Romanae, quam alios Ordinarios imitari deceret, non recipi, nisi parochus aliquot, saltem 3, vel 4. annis, Ecclesiam possederit, tradit Laym. ad cit. c. Admonet. de renunc. n. 3. Idem tradit Corrad. in pr. beneficiis l. 5. c. 1. à n. 11. Garc. p. 11. c. 3. à n. 45. ubi: hodie in Curia non admittuntur absolute & indistinctè resignationes parochialium & aliorum beneficiorum personalem residentiam requirentium, praesertim cum pensione; nam quoties resignatur parochialis, vel aliud tale residentiale, dataria vult, ut exprimat, per quod tempus illud possederit resignans, seu quo tempore illud obtinuerit; & si tempus est breve, resignatio rejicitur. Eadem habet Paris. l. 3. q. 2. n. 21. quibus limitat conclusionem à se formatam & sine stabilitate ibidem n. 8. nimirum quod is, qui adeptus Parochialem seu curatam Ecclesiam, ex quo tenetur se facere promovendi intra annum ad sacerdotium, aliàs beneficium vacat ipso jure, possit illud etiam in fine anni alteri resignare in favorem. Porro idem esse in permutationibus hujusmodi beneficiorum parochialium & residentialium ex dicto stylo Datariae, qui coepit à tempore Gregor. XIV. ait Garc. loc. cit. n. 46. & 47. apud quem etiam à n. 51. vide, quae differentia inter expressionem, quod quis possedit per tantum tempus, & quod quis obtinuit beneficium à tanto tempore, dum vult, prius importare, quod illud possederit saltem de facto, & sic cum titulo vel sine titulo; postereus verò importare, quod à tanto tempore habuerit jus in illo, vel illud de facto possedit. Addit quoque Laym. loc. cit. habendam in admissione talis resignationis Parochiae rationem plebis, quid ei expediat. Plura de his, quae pertinent ad praxin resignandi Parochiales, vide apud Corrad. pr. benef. l. 5. c. 1. à n. 13. quem utiliter leges. Vide etiam plura de permutatione beneficiorum curatorum infra.

Quaestio 287. An Vicaria perpetua possit resignari?

Respondeo affirmativè: Paris. l. 2. q. 1. n. 112. citans Put. decis. 384. l. 1. potest quoque permolari. Paris. ibid. n. 113. Citans Gammar. in c. licet. n. 86. de rer. permut. in 6. ac dicens esse communem.

Quaestio 288. An portiones, etiam dimidiae resignari possint?

Respondeo affirmativè; veniunt enim utraque nomine beneficii. Paris. l. 2. q. 1. n. 116.

Quaestio 289. An oratorium & eremitorium resignari possint?

Respondet ad utrumque affirmativè Paris. l. 2. q. 1. n. 120. & 122. quia utrumque est beneficium Eccles. pro primo citat Hojed. de incom. par. in praeas. n. 7. pro secundo Nav. cons. 1. de religiof. domibus.

Quaest.